

CLAVDIUS PEUTINGERVS IVRECONSVLTVS AV<sup>2</sup>  
gustanus.



Claudius ex honesta Peutingerorum familiâ Augustæ natus & educatus est. Is post prima artium & linguarum fundamenta in patriâ fœliciter percepta, sese hinc inde ad Academias contulit, atque Erasmo Roterodamo familiaris existens, in primis Iuris studio diligenter incubuit. Itaque factum ut omnium consensu Iuris Doctor crearetur. Postea Claudius in patriam rediit, atque urbis Augustæ syndicus constitutus fuit, eam functionem is magna laude administravit, atque eam rempublicam suis virtutibus plurimum exornauit. Hinc etiam anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo, cum Augustani re-

ligionem mutassent, atque Protestantes ad Carolum Cæsarem honestam Legationem in Italiam mittere statuissent, hic Claudius præ ceteris cum Ioachimo Pappenheimio & Ludouico Bambacho electus fuit, atque suam legationem apud Imperatorem magna laude expediuit. Par ratione & reliqua negotia reipublicæ singulari dexteritate perfecit ac ut omnia ordine fierent, suis consilij author fuit. Hinc factum cum Carolus Cæsar uictor, Anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Augustanum Senatum mutaret, atq; senatorum numerum in arctum cōtraheret, ut Peutingeros, cum quibusdam alijs antiquis & honestis familijs elegerit, & rerum gubernacula commiserit. Vnde Peutingerorum gloria etiam apud posteros celebris cognoscetur. Anon.